

*Avila* prodiit Matrili, Petri Madrigal 1588. in 4. \* quae editio in Bibliotheca Maiansiana, et Coll. Corp. Christi Valentino.

LATINE. *Iohannes Craesius*, qui supra *Latinam* dedit, quam versionem *Schottus* Collectioni Coloniensi 1628. adhibuit, T. III.

GALLICE. Litteris Gallicis donavit *Iohannes Baptista Saniurius*. Parisiis, Viduae Camuzat, 1641. in 12. ut Auctor est *Echardus*.

XV. *Vida de Don Fr. Bartholomè de los Martires, Arzobispo de Braga, de la Orden de S. Domingo*. Exhibet integram roster *Iohannes Lopez* Episcopus Monopolitanus IV.P. *Hist. Gen. Ord. Praed.* Lib. III. a pag. 655. ad 686. edit. Vallisoletanae 1615. in fol.

GALLICE. *Isaac le Maître de Sacy*, vir clarissimus, et illustris Galliae scriptor, *Gallice* dedit in Libro, cui inscriptio: *Vie de Dom Barthelemy des Martyres, tiré de son Histoire écrite en Espagnole et en Portugais par cinq Auteurs, dont le premier est le Pere Louis de Grenade*, etc. eaque est vita, quae sub nomine *Noviciatus Generalis Parisiensis Ord. Praed.* edita est Parisiis, Petri Petit 1663. in 4. et rursus in 8.

## §. III.

## QVAE SCRIPSIT LVSITANICE.

I. **C**ompendio de la Doutrina Christiana. Lusitanice scriptum iussu Reginae Catharinae, rusticis in vilis et montanis Portugalliae distribuendum. Olisipone, typis ac sumtibus Regiis circa 1560. et Salmanticae, Matthiae Gast 1586. in fol. quae laudatur in *Bibliotheca Cardinalis Imperialis*, pag. 217.

HISPANE. Fr. *Iohannes de Montoia* Ordinis Nostri reddidit ac publicavit sub hoc titulo: *Compendio de la Doctrina Christiana, dividido en tres partes. La I. trata de los Articulos de nuestra Santa Fe Catholica. La II. de los diez Mandamientos. La III. de la Oracion, i de los siete Sacramentos*. Granatae, Sebastiani de Mena 1595. in 4. Quae editio apud nostros Fontinentanos. \*

Aliam

Aliam versionem adornavit Fr. *Henricus de Almeida*, Dominicanus et ipse, inquit *Mugnozius* Lib. III. *Vitae Granatensis*, cap. 3. fol. 177. quam, *Montoiae* consilii inscius publicavit Matrili, eodem anno. Alterutra ex his Hispanicis versionibus prodiit Gerundae, apud Gasparem Garrich 1622. in fol. Matrili, Gregorii Rodriguez 1650. fol. et Barcinone, 1651. quam ultimam extare Romae in nostra Casanatensi, *Echardus* fidem facit T. II. in *Append.* pag. 826. col. 1.

GALLICE cum inscriptione hac: *Sommaire de la Doctrine Chrestienne*, exiit in Vulgus, Parisiis, 1605. in 8. ex fide ipsius *Echardi*, qui licet addat extare apud nostros Insulenses, a quo tamen haec versio elaborata sit, non meminit.

Certe Fr. *Simon Martin*, Ordinis S. Francisci de Paula, aliam elucubravit, ac Parisiis edidit 1651. de qua mox, quum de Collectionibus Gallicis institutam sermonem.

II. *Treize Pregações das principaes Fiestas de Christo, et da sua Santissima Mãe*. Has examinavit Fr. Franciscus Forerius noster, magnus ille Concilii Tridentini Theologus, ex commissione Cardinalis Infantis, Inquisitoris Generalis in Regnis Portugalliae. *Lusitanice* etiam scriptae sunt, et ad calcem operis antecedentis editae.

LATINE. *Martinus Martinez* Latinis auribus dedit has conciones, quas sic versas Tomo II. Collectionis Operum *Granatensis* Coloniae 1628. *Schottus* exhibet.

HISPANE. *Trece Sermones de las principales Fiestas del año, traducidos de la lengua Portuguesa por un Religioso de la dicha Orden*. Granatae, Sebastiani de Mena 1595. in 4. sumtibus Ioh. Diaz, ad calcem *Compendii Doctrinae Christianae* proxime laudati, *Hispane* redditi a nostro *Iohanne de Montoia*. Ad interpretem *Sermonum* quod attinet, eos non a se versos, sed ab alio eiusdem Ordinis Sodali, *Montoia* ipse fatetur; quem non alium a nostro *Henrico de Almeida* autumat *Echardus* T. II. ad an. 1595. pag. 315. col. 1. nescio quo nixus fundamento.

## §. IV.